vero capitaneis nostris locorum quorumvis notum esse volumus Mandantes ut has sublevationis nostrae literas Senatus de iure Sena[t]us in Acta Sua Castren. inscribi et preconis voce publicari faciant eamque et ipsi observent et ab alijs observari curent. Secus pro gratia nostra non facturi.

Cessio Advocatiae

Sigismundus etc. Scanus etc.

Quod coram nobis constitutus personaliter Generosus Paulus Scerbics Decretorum nostrorum Notarius de speciali consensu et voluntate nostra toto iure suo quodcunque illi ad Advocatiam in villa nostra Bregnowo in districtu Rauen. sitam competebat cessit et condescendit Nobili Paulo Scerbics filio suo, quod vero attinet summam in eadem Advocatia inscriptam de ea idem Generosus Paulus Scerbics itidem coram nobis cessit Nobili Zophiae Scerbicsowna filiae suae ita ut idem Paulus Scerbics iunior eandem summam dictae Zophiae sorori suae dare reponere et numerare teneatur iuxta ordinationem per eundem Paulum Scerbics seniorem inter liberos suos factam. Nos itaque cum utramque cessionem tam Advocatiae quam summae in ea inscriptae ratam habeamus eandem Advocatiam cum omnibus ad eam pertinentibus bonis necnon cum molendino per eundem Paulum Scerbics ibidem ex cruda radice construendo in posterum ad vitam dicto Paulo Scerbics iuniori propter merita patris ipsius conferendam esse duximus conferimusque per praesentes. Promittentes verbo nostro Regio pro nobis et Serenissimis Successoribus nostris, quod eundem Paulum Scerbics iuniorem possessione dictae Advocatiae et molendini donec vixerit non privabimus neque Serenissimi Successores nostri privabunt, neque cuiquam eum inde eximendi facultatem concedemus sed eundem in pacifico usu et possessione eorundem bonorum ad extrema usque vitae tempora conservabimus et Serenissimi Successores nostri conservabunt. In cuius rei fidem etc.

Erectio molendini

Sigismundus etc. Scanus etc.

Dedisse nos facultatem et potestatem Generoso Paulo Scerbics ut possit et valeat in fundo Advocatiae nostrae in villa nostra Bregnowo in districtu Rauen. sita molendinum sive vento sive equis sive bobus agitandum atque volvendum ex cruda radice